

19 Responso concessa Majori negando Minorem licet enim propositiones illa universales sint de fide, quia tamen includunt conditionem, ex vi cuius solum creditur proposito particularis contineri sub illa, ideo absoluta fidei credi non potest...

ARTICULUS II

An homo possit habere certitudinem saltem moralem sua gratia & justificationis omnino infallibilem, seu qui omnem formidinem & dubietatem excludat?

Andreas Vega lib. 9. in Tridentinum c. 46. docet aliquid ad certitudinem moralem suae iustitiae, secundum viam ordinariam, ita pervenire posse, ut absque ulla formidine & temeritate, non minus possint esse certi de sua gratia, quam certum est dari in rerum natura...

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur,

19 Deo primo: scilicet privilegio, & speciali Dei favore, non est possibilis propria iustitia certitudo moralis omnem formidinem excludens, & similis ei qua assentitur huic propositioni, Roma est...

20 Probatur primo conclusio ex Tridentino, loco supra citato, ubi ait: Quemlibet iustum debere formidare de sua iustitia, dum seipsum, suamque infirmitatem considerat...

21 Probatur secundo: Si quis talem haberet certitudinem possit jurare sine temeritate se esse in gratia: sicut ego jurare possem esse Romanum, quia est ita certum moraliter, ut non possit ratiabiliter esse formido de opposito...

22 Probatur tertio: Constat vires sanctissimos de sua salute multum formidasse, cum tamen propter praecleara caritatis opera, quae toto vitae sua tempore exercuerant...

23 Denique suadet conclusio. Licet homo possit habere aliquam signa seu indicia de sua iustitia & sanctitate, ut dicemus conclusione sequenti, ea tamen non sunt ita certa, ut omnem formidinem possint excludere...

24 Denique suadet conclusio. Licet homo possit habere aliquam signa seu indicia de sua iustitia & sanctitate, ut dicemus conclusione sequenti, ea tamen non sunt ita certa, ut omnem formidinem possint excludere...

venire ad confingendum mendacium: Ergo non est possibilis, scilicet privilegio, certitudo moralis propria iustitia, similis ei qua assentitur huic propositioni, Roma est, Dixi, scilicet privilegio, nam quemadmodum privilegio potuit alicui concedi certitudo fidei de sua iustitia...

Dico secundo: Homo iustus potest habere probabilem & conjecturalem de sua gratia & iustitia cognitionem, seu certitudinem. Ita D. Thom. hic art. 5. ubi postquam probavit quod gratia cognosci possit per revelationem, non per demonstrationem, quia ejus principium per quod demonstrari potest, est Deus qui in hac vita est nobis ignotus, prout scilicet est gratia auctor, subdit: Tertio modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per signa...

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt primo cum Vega: Si fideles non haberent certitudinem moralem omnino infallibilem, se esse in gratia, non possent Sacerdotes sine temeritate sacramentum Eucharistiae, & alia sacramenta vivorum eis ministrare...

Respondo negando sequelam Majoris. Ad ejus probationem dico duplex a Theologis distingui dubium, unum speculativum, quando de re aliqua in se dubitamus; alterum vero practicum; quando dubitamus de ejus praxi seu exercitio, an scilicet eam exercere debeamus...

hemus conjecturis, quando illa a sacerdote adoranda proponitur, eam possimus ac tenemus adorare, quia per tales conjecturas sumus practice certi hoc esse licitum & sanctum.

23 Obijciunt secundo: Potest quis esse certus certitudine infallibili de sua fide & spe: Ergo & de sua gratia & caritate. Consequenter videtur legitima: idcirco enim non possit quis esse certus de sua gratia & caritate, quia gratia & caritas, & actus ipsarum, sunt quid supernaturale: Sed non minus est ipsarum habere certitudinem infallibilem, poterit etiam esse certus certitudine infallibilis de sua gratia & caritate.

24 Respondet Suarez lib. 9. de gratia cap. 12. num. 12. negando Antecedens: existit enim non majorem dari certitudinem in homine de sua fide, quam de gratia. Sed D. Thomas hic art. 5. ad 2. docet oppositum, ait enim: De ratione certitudinis est quod homo certitudinem habeat de his quorum habet scientiam, & similiter de ratione fidei est quod homo sit certus de his quorum habet fidem...

25 Melius ergo responderetur, concessio Antecedente, negando consequentiam, & pariter: duplex enim repe-

rietur ratio discriminis: Prima est, quia fides est habitus certus, existens in intellectu qui est potentia quae per se reflectitur supra seipsum; omnis autem forma inferiorum aliquid subiectum tribuit ipsi suum effectum formalem; unde fides informans intellectum, primo tribuit ipsi certitudinem infallibilem de suo objecto; secundario verum, & per reflexionem, tribuit etiam certitudinem infallibilem de ipsa. Hoc autem non potest competere voluntati respectu caritatis; tum quia voluntas non est cognoscitiva: tum etiam quia caritas non habet pro objecto formalem certitudinem, sicut fides. Et quamvis spes fit in voluntate, nihilominus potest habere esse certus de sua spe, propter infallibilem connexionem ipsi cum fide: nam spes nunquam separatur a fide, nisi in eo, qui in actum desperationis prorumpit; potest autem homo esse certus, se nunquam in talem actum prorupissem, & sic cum sit certus de habere fidem, arguitive etiam certus esse potest se habere spem.

Secunda ratio disparitatis est, quia fides habet certam & infallibilem regulam intrinsicam, quam certo & infallibiliter possimus & debemus cognoscere, scilicet propositionem Ecclesiae: quamvis enim ratio formalis fidei, sive motivum assentiendi patet fidem, sit sola revelatio divina, quae supernaturalis est, nihilominus quoad nos, motivum, sive potius applicatio, est ipsa auctoritas Ecclesiae, proponentis nobis aliquid tamquam certo revelatum; & ideo cum sumus certi per fidem, Ecclesiam in qua modo sumus, esse veram & legitimam, sumus etiam certi, nos assentientes his quae proponitur revelata a Deo, habere fidem de illis.

TRACTATUS NONUS DE JUSTIFICATIONE IMPII, ET MERITO JUSTI.

Ad Quaestiones 113. & 114. D. Thoma.

P R A E F A T I O.



ECTE olim a Tertulliano dictum est lib. de Baptismo cap. 19. Nunquam sine aqua Christum esse: cum praecipua religionis mysteria elemento aqua peracta sint. Siquidem & ipse Christus aqua tingitur: prima rudimenta potestatis suae vocatus ad nuptias, aqua auspicatur; cum sermone facit, sicut tenens ad aquam invitat sempiternam; cum de agape docet, aqua calicem fratri oblatus inter operum dilectionis probat: apud puteum vires refumat, super aquam incedit, libenter transiret, atquam discumbentibus ministrat: perseverat testimonium Baptistam usque ad passionem; cum deditur in crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus; cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis. Nec minus aquam amasse Spiritus Sanctus visus est: cum ab ipso verum exordio praevidere elementum delectatus, aquam, ut propriam sedem aut instar triumphantis cursum, quo vehetur, sine cultu siderum; informis & tritibus abyssi; terra imparata, & calum rude; solus liquor semper materia perfecta, laeta, simplex, de suo pura, dignum vestaculum Deo subiciebat. Et ut mirum utriusque, Christi scilicet & Spiritus Sancti, consensionem (AMICE LECTOR) videas: cum Christus ad ripas Jordanis tingitur, Spiritus Sanctus aquas ea virtute & facultate imbuit, quae Fideles dum Baptismo abluuntur, nova generatione in novam creaturam reformentur. Tunc (pergit laudare Tertullianus) ille Sanctissimus Spiritus libens a Patre descendit super Baptistam aquas, & tamquam pristinam sedem recognoscens, conquiscit, columbae figura delapsus. Sed quod proprius ad nostrum institutum & argumentum accedit, cum Samaritanam mulierem, familiari & longiori colloquio, altioris fidei mysteria Christus aliquando edoceret, cubito forsitan intinxit fontem, & subijcto exemplo usus, aqua simbolo gratiae dotes omnes expressit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu petisses ab eo, & dedisset aquam vivam. Nam ut in eundem locum Joannis epistula inquit: Aqua haec, vivificans gratia Spiritus Sancti est. Et sane si utriusque collationem ineamus, praecipua gratiae essent, seu dotes, tribus praeclarissimum aqua proprietatibus explicare promississimum est. Primum enim gratia fontis instar sponte fluit, nec hominum meritis, sed originis suae purentate & copia diffunditur: Non enim Dei gratia, (inquit Augustinus contra Pelagium & Celestium cap. 14. Sermon. 17.) gratia ullo modo erit, nisi gratuita fuerit omni modo. Quamquam etiam & fontis large fluenta & putei alte effluo, gratia similis sit. Unde Cantiorum 4. Fons hortorum, & puteus aquarum viventium nuncupatur. Quae verba sic egregie Gilbertus Abbas expendit: Si fons, quomodo puteus? Si puteus gratia, quomodo fons? Nostis quantum inter se distant fons & puteus: puteus insoditur, fons gratis fluit; in illo aqua requiritur, in illo quasi proposita, & seipsam offerentes utro. Accipiamus ergo in fonte gratiae exuberantiam, in puteo secretum; in illo gratiae spontaneam oblationem, in isto alta mysteria.

Sed praeterea alterum est, quod gratia imaginem aquae refert, quod animarum animas non tingat solum, sed & abluat, & detergat fordibus, purissimas efficit; & eo gratiae officio antiquam legem nova potissimum superat, cum (ut D. Augustinus dicitur) lex antiqua prodres, non sanaverit egrotos, ostenderet agritudinem, non auferret; & instar speculi, obiceret dumtaxat maculas, non detegeret: ne beneficiis gratiae nova lex non demonstrat solum animorum fordes, sed & auferet, & cum puritatem illustrabit aequosque virtutis riuces accendat, ut columbae quae lacte sunt lotae dicit potuerint (nimirum cum ea munditie & candore praedita sint, ut bene lactis munditiam travisse videantur) & residere juxta fluentem plenissima, Christi scilicet volucra, vel sacramenta, ad majorem puritatem, innocentiam, & munditiam comparandam, infusa.

Demum hoc utriusque, gratiae scilicet & aquae, ingenium est, haec innata proposita, ut ad suum principium recurrant. Ut enim aqua sua origini reddita, suo fonti refluxa, iterum ab eo sumunt, unde iterum & jugiter fluunt; ita celestis gratia fluenta, dum a Libano, excessu scilicet Divinitatis fonte, ad nos usque labatur, sursum ad suam originem animos, quos a crimine foedibus & maculis purgant, honorum operum meritis in caelum, praemia percipientes, secum imperi quodam ratione: nam qui bibere est hac aqua, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Utinam (AMICE LECTOR) his celestibus undis non labra dumtaxat extrema praebas, sed scim omnem rerum terrenarum quae periturae sunt aliquando extinguas: nam qui bibit ex hac aqua, non sicut in aeternam. Sed demum, ut pro munere Theologi, rem Theol. Genet. Tom. IV.

apertus, & missi metaphoricis absolutam, hoc gratia effectus; quos aqua symbolis equis subjecti, justificationem scilicet, que animam mundat; & meritum, quod ad vitam eternam evadit, pro virtutibus huc Tractatu explicandis suscipio, na perspicuitate & brevitate, cujus toties experimentum dedi, ut nihil in ea parte sit quo te diutius morari debeam. Vale

DISPUTATIO PRIMA,

De Justificatione.

Ad questionem 113. D. Thomae.



ARTURUS D. Thomas de effectibus gratiae, prius de justificatione quam de merito dixerit: tum quia prius est hominem esse iustum, quam opera aeternae vitae meritoria exercere, juxta illud Augustini, Bona (id est meritoria opera) non procedunt justificationem, sed sequuntur: tum etiam quia justificatione procedit a gratia habituali in genere causae formalis, meritum vero quasi in genere causae efficientis: cuiuslibet autem formae prius & immediatus convenit effectus, cujus est causa in genere causae formalis, quam qui ab ea procedit in genere causae efficientis.

ARTICULUS I.

Utrum in justificatione impij vere remittantur & tollantur peccata, vel dimittatur justitia Christi tegantur.

§. I.

Referuntur tres haereticorum errores, & primus refellitur.

Res sunt praecipui haereticorum hujus temporis in materia de justificatione errores: In primis enim docent, in justificatione vere & proprie peccata non remitti, sed deleri, sed demittuntur radii, vel tegi per justitiam Christi nobis imputatam, eo fere modo quo vulnera & ulcera alieniqui possunt tegi vel occultari sub veste alterius. Unde sicut Jacob Genes. 37. indatus est veste Esau, ad benedictionem obtinendam, & de facto illum obtinuit, quasi esset Esau, cum tamen revera esset Jacob; ita (inquunt) peccator indatus Christi justitia, obtinet benedictionem a Deo, quasi esset justus, cum tamen revera sit & maneat peccator & injustus. Secundo dicunt, justificationem non fieri per introductionem aliquam formae, animae inherens, sed per solam justitiam Christi nobis imputatam. Tertio affirmant, ad justificationem non requiri aliam dispositionem ex parte nostrae, quam actum fidei, quo certo credimus nobis imputari justitiam Christi, & quo veluti manu talem justitiam apprehendimus, & trahimus ad nos, eamque nostram facimus. Primum errorem hic refellamus; secundum articulo sequenti, tertius vero infra a nobis confutabitur, cum de dispositionibus ad justificationem necessariis sermo erit.

Dico igitur, in justificatione vere & proprie remitti peccata, & non solum ipsa Christi Domini justitia, tanquam pallio aut veste caesata, tegi vel occultari. Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sess. 6. can. 5. his verbis: Si quis dixerit peccatum originale non vere tolli per gratiam Christi, sed tantum radii, & non amplius imputari, anathema sit.

Eadem veritas ex Scriptura manifeste colligitur: Nam Joann. 8. peccata dicuntur tolli & auferri: Ecco Agnus Dei, ecce qui tollis peccatum mundi. Psalm. 50. ea dicuntur deleri: Dete iniquitatem meam. Homo etiam per infusionem gratiae dicitur mundari, abluī, lavari, ac dealbari: Psalm. 50. Asperget me Domine hyssopo & mundabit: Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: 1. ad Corinth. 3. Hae suntis aliquando (id est adulteri, maledici, raptores, &c.) sicut abluī estis, sanctificati estis, iustificati estis: Ista 1. Si fuerint peccata tua sicut coccinum, quasi nix dealbabitur: & si fuerint rubra velut vermiceus, quasi lana alba erunt. At illi termini, seu modi loquendi Scripturae, non solum occultationem peccatorum, sed veram ipsorum ablationem important, ut de se patet: inepte enim ille diceretur abluī & mundatus, qui sordibus esset inquinatus, quas pallio aut veste tegeret: incongrue etiam Aethiophum ut nivem aut lanam dealbari diceremus, si tantum nigredinem sub veste candida occultaret; Ergo ex Scriptura in justificatione vere & proprie delentur & remittuntur peccata, & non solum justitia Christi tegantur.

Confirmatur ex illo Apostoli ad Eph. 1. Elegit nos in ipso (id est in Christo) ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus. Ubi notanda est particula in conspectu ejus, talis enim est res ut sunt in se, unde si post justificationem simus immaculati in conspectu Dei, a parte rei sumus immaculati, & a peccatis vere abluī & mundati; subindeque

illa in justificatione vere tolluntur & delentur, & non solum teguntur vel occultantur.

Favet etiam SS. Patres, relati a Bellarmino lib. 2. de justitia, cap. 7. Unus nobis sufficit Augustinus, qui ita clare hanc veritatem expressit, ut errorem haereticorum nostri temporis praevideat: nam l. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 13. haec scribit: Dicimus baptismum dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccatorum, in mala carne teneri, quasi rasurum in capite capillorum, unde crescunt iterum refecunda peccata, Et concione 2. in Plal. 31. solvit praecipuum haereticorum fundamentum, desumptum ex variis Scripturae locis, in quibus peccata dicuntur a Deo tegi: ibi enim exponens verba illa Prophetae, Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, sic ait: Nec intelligent peccata coverta esse, quasi ibi sint & vivant, & Deus tegerat, non tu; nam si tu tegeres volentis erubescens, medicus non curabit, medicus tegerat, & curat: sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerari celatur vulnus. Quibus verbis docet Deum ita tegerare peccata hominum, ut revera ea tollat & deleat, eorumque vulnera gratia suae medicamine sanat.

Ratio etiam suffragatur: Primo quia si post justificationem peccata manerent in homine, ille simul esset justus & injustus: justus quidem, quia proprius effectus justificationis est reddere hominem justum, ut ex ipsi terminis constat: injustus vero, quia cum peccatum deinde tenet hominem a Deo, est essentialiter injustitia quaedam & iniquitas: sicut gratis dicitur justitia, quia ordinat homines ad Deum: unde si peccatum manet in homine post justificationem, revera laeit illum injustum.

Secundo, Deus passim affirmat se amare justos, odio vero prosequi impios & peccatores: At si iusti haberent tantum peccata tecta & non delata, respici deus amaret impios & peccatores; cum amor, ut docent Philosophi, rapiatur ab objecto, seu feratur in objectum prout est in se: Ergo, &c. Nae valet quod dicant haeretici, peccatores tunc justitia externa Christi, tanquam veste innocentiae tegi, & sic esse obiectum amoris divini. Non, inquam, valet: quia non obstante justitia hac externa Christi, qua dicitur tegi peccatores, illi non desinet a parte rei, & secundum Deum esse immundi & inquinati, subindeque Deus in objectum immundum & inquinatum per anorem feretur.

Perdo, Ex hac sententia Calvini sequitur, Ecclesiam non habere veram & realem remissionem peccatorum, sed tantum fictitiam, vel impropriam, contra hunc articulum Symboli: Credo unum baptismum in remissionem peccatorum: & contra illud Joann. 20. Quorum remiseritis peccata remittentur eis. Sequitur etiam, quod sacramenta novae legis non vere & proprie auferant peccata, neque mundent animam, contra illud ad Ephel. 5. Mundans eam lavacro aqua, per verbum vitae, & illud Zachar. 13. In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in abluitionem peccatorum & inpuritate: quod SS. Patres & Scripturae interpretes exponunt de Ecclesia, in qua est sacramentum poenitentiae, omnibus fidelibus patens, quo vere remittuntur peccata, & omnia scelera sanguine Christi delentur.

Quarto, hac sententia est injuriola meritis & satisfactionibus Christi, quia vult per imputationem talium meritorum & satisfactionum non deleri sordes ipsorum peccatorum, sed semper in hominibus quantumvis iustificatis remanere.

Denique justificatione, ut infra ostendetur, fit per infusionem gratiae habitualis: Sed illa cum peccato est impossibile, ut etiam infra patebit: Ergo impossibile est quod post justificationem peccata in homine remaneant, & solum tegantur vel occultentur per justitiam Christi, nobis imputatam.

§. II.

Haereticorum objectiones solvuntur.

Objiciunt in primis haeretici varia Scripturae loca, in quibus peccata dicuntur tegi, & non imputari a Deo, ut Plal. 31. Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, &c.

Sed ad haec facile respondetur, quod cum nihil sit operum vel occultum oculis Dei, & omnia peccata nostra sint praesentia conspectui ejus, juxta illud Plal. 89. Solus est despectus nostras in conspectu tuo, faculum nostrum (id est despecta veritas nostrae) in illuminatione vultus tui: idem est peccata nostra esse tecta apud Deum, ac esse penitus deleta & ablata. Item cum justitia Dei, & lex aeterna, nullam

nullam possint peccatum impunum relinquere, peccata quae a Deo non imputari dicuntur, hoc ipso destructa & ablata supponuntur. Unde Propheta post verba relata statim addit: Nec est in spiritum ejus dolus: quo significatur, in eo cui non imputavit Dominus peccatum, dolam, iniquitatem, sive peccatum non esse. In eodem sensu caritas dicitur operire multitudinem peccatorum, quia ita illa destruit quoad ponam, si sit fervens, ut nihil eorum justitiae divinae offeratur puniendum, ut docet D. Thom. in 4. dist. 2. q. 1. art. 1. ad 2. his verbis: Caritas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt: unde oportet quod ea destruat, non quidem faciens ut actus non processerit, sed quod vim impedienti gratiam non habeat.

Objiciunt secundo: Si peccata in justificatione totaliter destruerentur, nunquam redirent: Sed interdum redeunt, ut significari videtur Marth. 18. ubi Dominus a servo denovo peccante exigit omne debitum quod antea dimiserat: Ergo, &c.

Respondeo distinguendo Minorem: Peccata interdum redeunt, formaliter & secundum suas maculas proprias, nego Minorem: virtualiter & secundum quid, quatenus peccatum subiectum, ratione ingratitudeis contra Deum remittentem peccata priora, est aliquo modo majus: ut exponit D. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. concedo Minorem & nego Consequentiam: quia ut peccata sint vere dimissa & sublata, satis est quod formaliter & secundum proprias maculas non redeant.

ARTICULUS II.

An justificatio fiat per introductionem formae inherens, vel per solam justitiam Dei aut Christi nobis imputatam?

Hic nobis rursus manus cum haereticis conferende sunt: illi enim, ut articulo precedenti annotavimus, non solum docent in justificatione peccata vere & proprie non remitti, seu deleri, verum etiam asserunt nullam dari formam intrinsecam iustificationem, sed impiam justitiam, vel per justitiam qua Deus iustus est, vel per justitiam Christi, ipsi imputatam extrinsecam. Pro hujus erroris impugnatione, & veritatis Catholicae declaratione, fit

§. I.

Catholica veritas autoritate & ratione stabilitur.

Dico igitur: Causa formalis nostrae justificationis non est justitia Dei, vel Christi, nobis imputata, sed realis & interna quaedam justitia, per quam interiori renouamur & sanctificamur, atque ab omnibus peccatorum sordibus realiter emundamur.

Hac etiam conclusio est certa de fide & definita in Tridentino sess. 6. cap. 7. his verbis: Unica formalis causa (justificationis impij) est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donari, renouamur spiritus mentis nostrae, & non solum reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipimus, &c. Item Canone 11. anathema dicitur ei qui dixerit: homines justificari sola imputatione justitiae Christi, exclusa gratia & caritate, qua in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, argue illis inhaerere.

Eadem veritas colligitur ex Augustino lib. de spiritu & lit. cap. 9. ubi explicans verba haec Apostoli, Justitia Dei manifesta est, ita loquitur: Non dicit Apostolus, justitia hominis, sed justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impiam. Et cap. 37. expendens haec verba Apostoli: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, subdit: Caritas diffunditur in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectiores suis; sicut justitia Dei ita dicta est, qua justus ejus munere efficiuntur.

Potest etiam suaderi conclusio quadruplici ratione. Prima est: Apostolus ad Roman. 5. comparat justitiam & obedientiam Christi cum peccato & inobedientia Adami: Sed peccatum Adami realiter a nobis contrahitur; nec enim dicuntur peccatores per hoc solum quod peccatum primi parentis, committunt in paradiso terrestri, nobis imputetur, sed quia in anima ipsorum, quando concipiuntur, realis macula & iniquitas reperitur, ut Tractatu de peccatis ostendimus disput. 8. artic. 5. s. c. Argendo de peccato originali: Ergo justitia, que tali peccato opponitur, illudque ab homine expellitur, non debet esse quod externum & imputativum, sed internum & reale in anima, cum ex Philosopho contrarium eadem sit ratio.

Confirmatur: Christus restituit nobis quod perdidimus in Adamo: Sed in Adamo perdidimus justitiam intrinsecam, nimirum justitiam originalem, que erat forma aliqua seu perfectio inherens animae Adami, quam transfudisset in omnes suos posteros, si non peccasset: Ergo Christus per

justificationem nobis communicat formam aliquam seu qualitatem intrinsecam, a qua iusti denominantur.

Secunda ratio: Justificatio peccatoris provenit tanquam a causa, a dilectione Dei supernaturali, qua diligit hominem in ordine ad vitam aeternam: Sed a tali dilectione forma aliqua intrinsecam & supernaturalis in homine derivatur, ut ostendimus in Tractatu de gratia disp. 4. art. 1. Ergo justificatio impij fit per aliquam formam seu qualitatem inherens, & non per solam justitiam Dei aut Christi nobis imputatam.

Tertia ratio: In justificatione homo adoptatur in filium Dei, ut constat ex Tridentino sess. 6. de justitiae cap. 4. ubi ait quod justificatio impij est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum: Sed filiatio adoptiva Dei fit per aliquam formam intrinsecam, ut docet D. Thomas 3. p. q. 23. art. 1. his verbis: Hoc autem plus habet adoptio divina quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratia manus ad hereditationem caelestium percipiendam; homo autem non facit idoneum quem adoptat, sed potius cum jam idoneum eligit adoptandum: Ergo justificatio impij fit per receptionem alicujus formae intrinsecam & animae inherens, nimirum gratiae & caritatis.

Ultima ratio: Causa formalis & efficiens non possunt in unam eandemque rem coalescere; cum una nempe formalis interna sit, efficiens vero externa: Sed justitia Christi est causa efficiens nostrae justificationis; principalis quidem in ratione meriti, instrumentalis vero in ratione realis efficientiae, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus: Ergo non potest esse causa formalis nostrae justificationis.

Confirmatur: Cum justitia Dei, vel Christi, sit semper aequalis, nec suscipiat magis & minus, si homines essent iusti per solam imputationem justitiae Dei, vel Christi, omnes essent aequaliter iusti, subindeque aequales in beatitudine, contra illud Christi: in domo Patris mei multi similes mihi sunt.

Neque valet si dicas, justos esse inaequales in justitia, propter inaequalitatem fidei, qua credunt sibi imputari justitiam Christi, illamque ad se trahunt, & veluti manu apprehendunt. Cum enim juxta haereticos, justitia Dei, vel Christi, sit causa formalis nostrae justificationis, fides vero solum conditio applicans, per hanc responsum non evitatur praedictum inconveniens: siquidem cum aliqua forma est eadem vel aequalis in pluribus subiectis, tamen conditio ipsam applicans inaequalis sit, idem vel equalis est effectus formalis quem subiecto tribuit; utpote cum ille nihil aliud sit, quam ipsamet forma, ut communicata subiecto.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt in primis haeretici plura Scripturae loca, in quibus videtur insinuari, justificationem fieri formaliter per justitiam Christi nobis imputatam. In primis ad Rom. 5. Per unius obedientiam iusti facti sunt multi. Et 1. ad Corinth. 3. Christus dicitur factus nobis justitia, & sanctificatio, & redemptio. Item Jeremiae 23. vocatur Justus noster, sive ut habetur in Hebraeo, Justitia nostra. Ergo ex Scriptura homo non iustificatur per aliquam formam seu justitiam sibi intrinsecam, sed tantum per justitiam extrinsecam Christi ipsi imputatam. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 10. reprehendit eos, qui suam propriam justitiam volunt statuere, dicens: Ignorantes justitiam Dei, & suam volentes statuere, justitia Dei non sunt subiecti.

Confirmatur: Scriptura variis in locis asserit hominem non esse justum coram Deo: Psalm. 142. Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Job 9. Non justificatur homo compassus Deo: At haec falsa essent, si homo haberet justitiam sibi intrinsecam: Ergo non est iustus per aliquam justitiam sibi inherens, sed tantum per extrinsecam aut Christi justitiam.

Addunt haeretici, fieri injuriam justitiae Christi, si dicamus illum non esse sufficientem ad justificandum omnes homines, sed praeter illam requiri justitiam aliquam intrinsecam, que fit causa formalis nostrae justificationis, nempe gratiam habitualem.

Ad objectionem respondeo, illa & similia Scripturae loca non esse accipienda in sensu formalis, sed causali, solumque significare Christum esse causam efficientem, vel meritoriam nostrae justificationis. Nam ibidem dicitur Christum esse nobis sapientiam. Et Joann. 11. Christus ait: Ego sum resurrectio & vita. Item Deuter. 3. Moyseus de Deo loquens dicebat Hebraeis: Ipse est via tua, & longitudo dierum: & tamen nullus dicit haec verba in sensu formalis esse accipienda, cum certum sit Christum non esse id quod formaliter reddunt intelligentes & sapientes; & homi-

hominem vivere per formam & vitam sibi intrinsecam, scilicet animam rationalem, non vero per vitam extrinsecam Dei, vel Christi.

Ad id quod additur ex Apostolo, dicatur Paulum hoc loco invehi in eos qui in iustitia, viribus naturae, aut operibus legis Moisaica comparata, confidebant: quales in primitiva Ecclesia erant Pharisaei, & alii Iudaei, qui credebant se justificari per observationem legis naturae & Moisaicae: non autem reprehendere eos qui existimant homines justificari per iustitiam internam, meritis Christi comparatam.

24. Ad confirmationem dicendum est, Scripturam his locis solum asserere, iustitiam nostram, comparative ad iustitiam Dei, esse quasi nullam, aut nullam apparere, sicut esse creaturam, ad esse Dei comparatam, nullum, seu non esse dicitur Isaia 40. Unde Gregorius in cap. 4. Job: *Humana iustitia, inquit, divina iustitia comparata, in iustitia est: quia & lucerna in tenebris lucere videtur, in Solis radio postea tenebatur.*

25. Ad aliud quod addunt haeretici, nempe fieri injuriam iustitiae Christi, si dicamus nos justificari per aliquam iustitiam nobis intrinsecam, neganda est illa sequela: nam tantum abest, quod per hoc derogetur iustitiae Christi, quin potius magis releuet dignitas & excellentia meritum eius, si virtute illorum nobis communicetur iustitia inherens, per quam sumus formaliter iusti. Unde Tridentinum postquam sess. 6. can. 11. definit homines non justificari sola imputatione iustitiae Christi, sed per gratiam & caritatem per Spiritum sanctum diffusam, ac nobis inherentem, tandem canone ultimo sic concludit: *Si quis dixerit, per hanc doctrinam aliqua ex parte gloria Dei, vel merito Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nobis, Dei donique, ac Christi Iesu gloriam illuderi, anathema sit.*

26. Obiecto secundo Calvinus: Iustitia qua iusti sumus coram Deo, debet esse ita perfecta, ut dicat tam perfectam commensurationem cum divina lege, quod nihil admittat aut computari ei repugnantem; iustum enim dicimus, quod aequatur suae legi, regula autem hominis est lex divina: Sed non potest tanta perfectio iustitiae in nobis intrinsece reperiri: nam ut dicitur Job 3. si iustificaret me volentes, reprehenderet me cor meum; & si voluero contentum esse cor meum, non respondet unum pro mille: & I. Joann. 3. si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus: Ergo iustitia, qua perfecte saltem & complete iusti sumus, non est in nobis: sed ex proinde necessa est recurrere ad iustitiam Christi nobis imputatam, in qua sola potest perfecta illa aequatio cum divina lege reperiri.

27. Respondetur tantum posse esse in nobis intrinsecam iustitiam purificationem, ut ex ea nata sit haberi perfecta commensuratione & aequatio actuum nostrorum cum divina lege, quoad omnia quae praecipit, sed in virtutibus esse in statu imperfecto, ex defectu luminis glorie, & visionis beatificae, quibus privamur, ut aliquamdiu per fidem ambulamus, priusquam per speciem: unde non facit actu perfectam & completam aequationem cum divina lege, nisi solum prout obligat sub moraliter, quamvis est in statu vite (sicut privilegio Beati Mariae Virginis concessio) sed solum in statu glorie, ubi medio lumine glorie quod ex se emittit, mentem & intellectum in Deo firmabit, & sic reddet totum hominem indelectibilem.

28. Obiecto tertio: Remissio peccatorum nihil aliud est quam eorum condonatio, aut patet ex remissione offensae, quae fit inter homines, ut enim homo remittat alteri offensam, sufficit quod velit eam ipsi condonare: Sed condonatio in Deo non dicitur aliud quam actum divinae voluntatis, quo vult peccata remittere, & Christi satisfactionem pro nostris peccatis applicari: Ergo remissio peccatorum non fit per formam intrinsecam receptionem, sed solum per imputationem iustitiae Christi, nobis per fidem applicatam.

29. Respondetur, concessa Majori, distinguendo Minorem: Condonatio in Deo non dicitur aliud quam actum divinae voluntatis, sterilem & infructuosum, nego Minorem: faciendum, & producentem formam intrinsecam expellente peccatum, ob merita Christi, concedo Minorem. Unde hoc interest discernis inter Deum & hominem condonantes offensam, quod homo condonat alteri offensam actu sterili, Deus vero actu fecundo: primo quia Deus condonando offensam, debet reddere eum cui offensam remittit, obiectum congruum suae dilectionis, seu condonationis: quod non debet facere homo, cum amor humanus non poat, sed solum in suo obiecto bonitatem, bene autem, divinus: secundo, quia offensam non remittit alteri nisi eam retraheret: homo autem habet ex se sufficientes vires ad retrahendam offensam in alium hominem committam, secus vero ad retrahendam offensam Deo illatam: & sic actus Dei condonantis offensam homini, debet esse conferre, unde possit eam retrahere, & pro ea aequaliter satisficere: quod non debet facere actus hominis, alteri homini offensam condonantis.

§. III.

Corollaria notata digna.

EX dictis inferes primo, gratiam habitualem non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi & natura, habere hunc effectum expellente peccatum, non solum quatenus est malum hominis, & causat maculam in anima, sed etiam prout est offensa & iniuria Dei, subindeque praeter beneficium gratiae habitualis, non requirit ad justificationem & remissionem peccatorum, favorem extrinsecum Dei, quo offensa condonetur.

Prima pars hujus corollarum est contra Scotum, & Nominales, qui docent remissionem peccati solum ex lege Dei esse conjunctam cum gratiae infusione, ac proinde ipsam non expellere formaliter peccatum ex ipsa rei natura, sed ad summum ex institutione Dei, qui decrevit nulli permanenti in statu peccati illam formam infundere, seu ad praesentiam talis formae semper expellere peccatum. Quae sententia facile confutari potest ex supra dictis: offendimus enim ex Tridentino gratiam esse causam formalem nostrae justificationis: Sed non potest vere dici causa formalis ejus si ab intrinseco, & ex natura sua non haberet constituere iustum, & remittere peccatum: Ergo, &c. Minor probatur: Quicumque effectus formalis est naturae rei connectitur cum causa formali, immo est ipsa forma ut communicata subiecto: Ergo si justificatio, & remissio fide expulso peccati, solum ex lege Dei fit conjuncta cum gratiae infusione, illa non potest vere dici causa formalis illius: sicut si Sol non haberet virtutem illuminandi non effective, licet Deus ex lege seu pacto ad praesentiam Solis illuminaret, non potest vere dici Sol causae efficiens luminis. Unde Philosophi, qui docuerunt causas secundas non habere virtutem agendi ex natura sua, sed Deum ad praesentiam illarum agere, consequenter dixerunt causas secundas non esse vere causas efficientes, sed solum condiciones necessarias, ad quarum praesentiam Deus operatur.

Confirmatur primo: Gratia habitualis est participatio divina naturae & sanctitatis, unde sanctificans appellatur: Ergo sicut natura & sanctitas Dei, ipsam ab intrinseco constituunt iustum & sanctum per essentiam; ita gratia habet ex natura sua constituere iustum, & sanctum per participationem, subindeque expellere peccatum ab anima.

Confirmatur secundo: Gratia in Scriptura vocatur lumen, seu splendor; peccatum vero dicitur tenebra; ut patet ex illo 2. ad Corinth. 6. *Quae participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? & ex illo 1. Petri 2. Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum:* Sed lux naturae sua opponitur tenebris, & illas expellit: Ergo & gratia ex sua natura expellit peccatum, & non solum ex lege Dei extrinseca.

Confirmatur tertio: Peccatum habituale, seu macula peccati, consistit in privatione gratiae, ut connotante actum praeteritum a quo causata est, ut in Tractatu de peccatis doctrinam disput. 8. artic. 2. Sed quaecumque forma positiva ex natura sua expellit privationem sibi oppositam: Ergo gratia ex natura sua expellit peccatum, sicut ut est malum hominis, & causat maculam in anima.

Quod vero etiam tollit illud, quatenus est offensa & iniuria Dei, probatur ex Tridentino sess. 5. can. 5. ubi dicitur: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismo conferetur, ratum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserat non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, anathema sit.* Quibus verbis expressè & clare definit, remissionem peccati, quoad omnem rationem, fieri per gratiam inherenter; qui autem totum dicit, nihil excludit: Ergo ex Tridentino non solum deformitas maculae, sed etiam ratio injuriae & offensa Dei in peccato repta, per gratiam habitualement avertitur.

Ratio etiam id suadet: Nam per talem gratiam reddimur amici Dei, & ipsi grati: eodem vero actu quo Deus in sui amicitiam admittit impium, & peccator illi, remittit injuriam, & non remanet offensus: sicut in humanis homo cum offendit peccator, sine nova benevolentia aut favore remittit injuriam, alias non diceretur amicus aut pacatus.

Ex his probata manet secunda pars corollarum: si enim gratia habitualis extrinseca sua vi & natura expellit peccatum, secundum omnem rationem in eo reperimentam, certe ad justificationem seu remissionem peccati, praeter beneficium gratiae habitualis, non requiritur favore extrinseco Dei, quo offensa condonetur. Unde Suarez contra-dicta sentit, & scribit, summeque calidum & frigidum spirat, dum tom. 3. de gratia lib. 7. cap. 11. concl. 2. expressè docet gratiam non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi & natura expellere peccatum ab anima: & nihilominus postea tom. 1. in 3. p. disp. 4. sect. 8. §. 4. *Ad primum*

primum vero, ait quod cum beneficio gratiae inherenter simul etiam requiritur divina condonatio, & remissio injuriae ad justificationem. Quod non solum videtur priori dicto contrarium, sed etiam Tridentini doctrinae repugnans: nam Tridentinum sess. 6. cap. 7. sic ait: *Unica formalis causa nostra justificationis est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustus facit: At si praeter infusionem gratiae, & acquisitionem iustitiae interius, requireretur novus favor, aut condonatio extrinseca, ad exclusionem justificationis, sed duplex, nempe iustitia inherens, & favore ille extrinsecus: Ergo, &c.* Unde Vasquez hic disputat. 102. capit. 2. in hac sententiam acriter his verbis invehitur: *Recentiores Theologi multo magis mirasus sum, quod post praeterea Concilio Tridentino definitionem, tam exilitem iustitiam inherenter iusti concesserint, ut ex se non haberet virtutem tergendae maculae, neque eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur: si enim eorum sententia recte expendantur, veram rationem iustitiae inherenter & medio tollere videntur, quam Patres Tridentini pro vobis asseruere & defendere molli sunt.*

38. Inferes secundo contra haeticos nostri temporis, praecipue contra Calvinum in antidoto ad sess. 6. Concilii Tridentini, & lib. 3. instit. cap. 1. justificationem impium non solum importare remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & renovationem interiore. Ita expresse docet, Tridentinum sess. 6. cap. 7. his verbis: *Hanc dispositionem seu preparationem justificationis ipsa consequitur, qua non est solum peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiae & donorum.*

39. Ratio etiam suffragatur: Nam ut articulo sequenti dicemus, justificatio fit per infusionem gratiae habitualis, quae est causa formalis illius: Sed acquisitio gratiae non solum est remissio peccati, sed etiam vera renovatio interior, & sanctificatio: nam per acquisitionem gratiae homo transit a veritate peccati, ad novitatem vitae & morum; juxta illud ad Ephes. 4. *Renovamini spiritu mentis vestrae, & sicut sanctificatur & mundatur, ut patet ex illo 1. ad Corinth. 6. Ablati estis, sanctificati estis, iustificati estis:* Ergo justificatio non solum importat remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem & renovationem interioris hominis.

40. Inferes tertio, in justificatione, ut est motus, principalior partem, seu principalioram mutationem, esse renovationem interioris hominis: Nam in omni motu proprie dicto, principalior est acquisitio termini ad quem, quam expulsio termini a quo, cum prior sit per se intentio, posterior vero solum per accidens: Sed remissio peccati se habet in justificatione per modum termini a quo; acquisitio vero gratiae, per quam homo interior renovatur, est terminus ad quem justificationis: Ergo ex duabus mutationibus quae includuntur in justificatione, scilicet remissione peccatorum, & renovatione interiori hominis, illa erit principalior. Quod significat Apostolus ad Rom. 4. dum ait de Christo: *Traditum est propter delicta nostra, repositus propter justificationem:* id est passus est propter remissionem peccatorum, & resurrexit propter renovationem interiorum, factam per gratiam: quare subdit: *ut in novitatem vitae ambularet.* Unde offendere vult justificationem nostram potius consistere in renovatione interiori: alias dixisset Christum resurrexisse propter justificationem nostram, ut peccata remitterentur, non vero ut in novitate vitae ambularemus. Haec oppositio favori Augustinus in Enchirid. cap. 52. dicens: *Quomodo enim in illo vera mens facta est, ita in nobis vera peccatorum remissio, & quam admodum in illo vera resurrectio fuit, ita in nobis vera justificatio.* Ubi justificatio comparatur resurrectioni, per quam acquiritur novitas: & hoc quia justificatio principaliter consistit in renovatione interiori hominis.

ARTICULUS III.

An sola gratia habitualis sit causa formalis justificationis?

41. Vasquez hic disputat. 203. cap. 3. & sequentibus, affirmat actum contritionis & caritatis habere in seipso vim justificandi formaliter; & licet de facto nunc omnes qui justificantur, recipiant habitum gratiae, tamen quia solum definitum est ab Ecclesia justificationem fieri in nobis per iustitiam inherenter; & quae dicuntur de gratia inherente, possunt etiam intelligi de ipso actu contritionis, satisfieri Ecclesiae definitioni, si in his qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio dicatur esse causa formalis justificationis.

42. Haec sententia communiter rejicitur a Theologis, asserentibus actus caritatis, & contritionis perfectae, esse quidem proximas dispositiones ad obtinendam remissionem peccatorum, non tamen causam formalem justificationis impii, sed id soli gratiae habituali convenire. Immo

Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sect. 8. censet illam opinionem Vasquez esse temerariam, & Tridentini doctrinam parum consentaneam. Sunt tamen aliqui, qui Vasquez excusare, & ejusque doctrinam temperare, & benigna interpretatione emolliere conantur, dicendo ipsam non loqui de facto, sed de possibili, & solum velle actum contritionis vel caritatis de lege extraordinaria, & per ordinem ad potentiam Dei absolutam, esse posse formam justificantem in adulto, qui extra sacramentum per actum contritionis & caritatis justificatur. Sed haec interpretatio menti hujus Auctoris aperte contradicit, ille enim a. 2. tom. 1. disp. 2. cap. 6. num. 66. haec scribit: *Memini autem contritionis, quia in adulto qui justificatur extra sacramentum, magis corum est cum justificari contritione, quam gratia habituali, ut ostendimus. 1. 2. disp. 203. cap. 3.* Quibus verbis aperte declarat Vasquez, quid senserit in prima secunda, & inquit se sensit, adultum extra sacramentum justificari contritione, & hoc esse certius, quam quod justificetur gratia habituali. Ut constaretur haec sententia, & vera causa formalis justificationis declararetur, fit.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

Dico igitur, actum contritionis vel caritatis non esse causam formalem justificationis, sed id soli gratiae habituali competere.

Probatur primo: Actus contritionis vel caritatis est 43 dispositio ad formam justificationis. Ergo non est ipsa forma justificans. Consequenter patet: forma enim non est dispositio ad seipsam, cum inter dispositionem & formam exerceatur aliqua casualitas, subindeque inter illas reperitur realis distinctio. Antecedens vero docetur communiter a Theologis, praesertim a D. Thoma hic art. 5. & 8. & de verit. q. 28. art. 8. ad 1. & 2. colligiturque ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente: *Contritionis motum preparare ad remissionem peccatorum, si conjunctus sit cum perfecta divina misericordia.*

Dices cum Vasquez, Concilium per contritionis motum intelligit contritionem illam imperfectam, quae dicitur attritio.

Sed contra primo: Concilium ibi loquitur de contritione quam justificatio ipsa consequitur: sive cum reali susceptione sacramenti, sive in voto; Sed extra realem susceptionem sacramenti, justificatio non consequitur ad attritionem, ut de se constat: Ergo Concilium per contritionis motum non intelligit contritionem illam imperfectam, quae dicitur attritio.

Contra secundo: Concilium ibi loquitur de contritione quovis tempore necessaria ad remissionem peccatorum, ait enim: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Sed attritio non fuit quovis tempore necessaria ad veniam peccatorum; nam ante legem Evangelicam extra sacramentum non requirebatur, & cum sacramento non sufficebat: Ergo non loquitur ibi de attritione, sed solum in fine ejusdem capitis ubi ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quantum vel ex turpiditudine peccati consideratione, vel ex gehenu, & poenitentiae metu communiter concipitur, &c.*

Confirmatur ex eodem Tridentino sess. 6. can. 3. ubi sic habetur: *Si quis dixerit sine preventivo Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adiutorio, hominem credere, sperare, aut possidere posse; sicut oportet ut ei justificationis gratia infundatur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium expresse docet actus dilectionis & poenitentiae fieri ut justificationis gratia infundatur: Ergo tales actus non sunt ipsa gratia justificationis, nec consequenter ipsa forma justificans; alias sensus Concilii esset, quod sunt isti actus, ut ipsi infundantur, si ipsi sunt forma justificans, quod est absurdum.

Confirmatur amplius: Causa formalis justificationis non impetrat veniam & remissionem peccatorum, sed illam formaliter causat: Atqui actus contritionis non causat formaliter veniam & remissionem peccatorum, sed eam dumtaxat impetrat, ut patet ex eodem Tridentino, dicente loco supra citato: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius:* Ergo actus contritionis non est causa formalis justificationis.

Probatur secundo: Habenti actum contritionis promittitur in Scriptura indulgentia & remissio peccatorum: Sed si talis actus esset forma justificationis & remissionis peccatorum, superflua & vana esset talis promissio: Ergo talis actus non est causa formalis justificationis. Major patet ex illo Jeremiae: *Convertimini filii revertentes, & sanabo vos:* & ex illo Isaia 55. *Deselinquas impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & miserabitur eius.* Item ex illo Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Minor vero probatur: Habenti formam justificationis.

perfluere & in vanum promittitur effectus formalis illius, cum talis effectus nihil aliud sit quam ipsamet forma, ut communicata subiecto: v. g. si quis diceret, faciam te divitem, si habueris divitias: album, si habueris albedinem: irritoria & nugatoria esset talis promissio: Ergo si actus contritionis esset forma justificans, & remittens, seu expellens peccatum, habenti actum contritionis superflue & in vanum indulgentia & remissio peccatorum promitteretur.

49. Probatur tertio: In justificatione homo adoptatur in filium Dei, ut constat ex Tridentino sess. 6. cap. 4. unde illud idem quod est terminus formalis spiritualis generationis, per quam filii Dei adoptivi constituuntur, est causa formalis justificationis impii: At sola gratia sanctificans, non vero actus caritatis, vel contritionis, est terminus formalis illius spiritualis generationis, cum illa sola gratia sit participatio formalis nature divinæ, ut talis est, & gerat vices substantiæ seu nature in ordine supernaturali, ut in Tractatu de gratia declaravimus disput. 2. artic. 5. Ergo sola gratia habitualis est causa formalis justificationis.

50. Probatur quarto: Effectus formalis ejusdem semper rationis non potest provenire a duobus formis specie diversis: Sed esse justum, est effectus formalis ejusdem rationis in omnibus, & gratia habitualis specie differt ab actu contritionis & caritatis, cum illa sit qualitas permanens & in specie habitus, illi vero cito transiunt: Ergo non potest provenire a gratia habituali, & ab actu contritionis, vel caritatis, sed a sola gratia sanctificante, que est ejusdem rationis & speciei in omnibus justis, sive illi sint parvuli, sive adulti: Minor, & Consequenter patet, Major probatur. Effectus formalis speciem sumit a forma, immo est ipsamet forma, ut communicata subiecto: Ergo a duobus formis specie diversis, duplex effectus formalis specie diversis provenire debet.

51. Denique suaderi potest conclusio hæc ratione: Forma justificans expellit peccatum in genere cause formalis, sicut universales omnia forma tribuens suum effectum formalem subiecto, expellit formam, aut privationem oppositam, in genere cause formalis; v. g. calor qui est causa formalis calefactionis, expellit formaliter frigus aquæ; lux que est causa formalis illuminationis, expellit tenebras formaliter, non vero efficienter: Sed actus contritionis, vel caritatis, non expellit ab anima peccatum habituale in genere cause formalis (quia enim tale peccatum in privatione gratie habitualis consistit, ipsi non opponit formaliter) sed solum in genere cause dispositivæ, que ad genus cause materialis reduci potest: Ergo talis actus non est causa formalis justificans, sed sola gratia sanctificans, que talem maculam, seu peccatum habituale formaliter tollit. Unde Tridentin. sess. 6. cap. 7. unicam dicit esse causam formalem justificationis, nempe justitiam inhærentem, quam Vasquez fatetur esse gratiam habituale. Hæc assertio magis patebit ex dicendis articulo sequenti, ubi ostendemus, justificationem non posse fieri, etiam de potentia absoluta, sine infusione gratiæ, & implicare contradictionem quod aliquis per solum actum contritionis vel caritatis formaliter justificetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objeit in primis Vasquez plura Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quibus insinuari videtur, dilectionem Dei, seu contritionem perfectam fundatam in dilectione, esse causam formalem nostre justificationis: Christus enim Luca 7. dixit de Magdalena: Remissionem ei peccata multa, quantum dilexit me. Et Joann. 14. Si quis diligit me, Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Item Prov. 10. dicitur: Universa delicta operis caritatis. Et r. Petri 4. Caritas operis multitudine peccatorum. Similiter Augustinus de natura & gratia cap. 42. ait caritatem esse nostram justitiam, & cap. ultimo: Caritas inchoata justitia est, caritas magna, magna justitia est. Et ibi 2. contra Cresconium grammaticum, cap. 12. dicit quod a peccatis mundamus, sacrificio cordis contriti, id est actu penitentiæ.

53. Sed facile responderetur testimonia illa Scripturæ solum probare, quod dilectione & contritione, ut dispositione ultima, justificamur & sanctificamur, non vero ut causa formali justificationis & sanctificationis: effectus enim qui complete procedit a forma, attribuitur etiam dispositioni, quia ab ipsa inchoate procedit. Similiter verba Augustini intelligenda sunt in sensu casuali, non formali; caritas enim causat ut dispositio iustitiam, subindeque iustitia illi proportionatur & commensuratur.

Adde, actum caritatis vocari perfectam justitiam, vel sanctitatem, quia cum sit perfectissimus actus gratiæ justificans formaliter, in quem illa omnem suam efficaciam, virtutem, & perfectionem explicat, que forma-

liter conveniunt gratiæ sanctificant, de actu caritatis predicatur.

Objeit secundo: Justificatio fit per illam formam, que magis opponitur peccato essentialiter considerato: Sed actus dilectionis magis opponitur peccato essentialiter considerato, cum gratia habituali: cum in omni statu peccatum importet privationem dilectionis naturalis, non autem privationem gratiæ, nam in statu nature pure fuisse peccatum, & tamen non fuisse privatio gratiæ: Ergo justificatio fit formaliter per actum dilectionis, non vero per gratiam habituale.

55. Respondeo negando absolute Majorem: Justificatio enim, pro illo statu, non fit per formam oppositam peccato tantum essentialiter considerato, sed debet fieri per formam oppositam illi rationi quam peccatum principaliter importat: peccatum autem, pro hoc statu in quo nunc sumus, importat principaliter privationem gratiæ, quia in statu in quo nunc sumus, ordinamur ad finem super-naturalem; unde peccatum mortale habituale (de quo tantum hic loquimur) importat privationem illius principii quo ordinamur ad finem supernaturalem, quod principium est ipsa gratia habitualis.

Alia argumenta probant actus contritionis & caritatis, de potentia Dei absolute, posse justificare formaliter: unde commodius proponitur & solvuntur articulo sequenti, ubi de hoc sermo erit.

ARTICULUS IV.

An de potentia extraordinaria possit quis justificari per externum Dei favorem, vel per solos actus contritionis & caritatis, etiamsi gratia justificans ei non infundatur?

§. I.

Quædam præmissa, referuntur sententiæ.

56. Suppono primo, duplicem posse distingui justificationem; unam perfectam & completam, que non tantum dicit remissionem offensæ Deo per peccatum illata, sed etiam abluitionem macule, ex peccato procedenti in anima relicta: alteram vero imperfectam & incompletam, que solum importat remissionem offensæ, & relaxationem pœnæ ei debite.

57. Suppono secundo, hominem posse considerari duobus modis, seu in duplici statu, nempe in statu nature pure, prescindendo ab ordinatione ad finem supernaturalem: & in statu ordinationis & elevationis ad ordinem & finem supernaturalem. Primo modo consideratus, nullum haberet præceptum supernaturale, nec peccando offenderet Deum ut auctorem & finem supernaturalem, sed solum ut finem naturalem: sicque peccatum ipsum importaret solum transgressionem legis naturalis, averfionem a Deo ut sine ultimo naturali, & privationem notoris qui ex resurgente luminis rationis & legis naturalis procedit. Secundo modo spectatus habet præcepta supernaturalia, & peccando averfionem a Deo ut sine supernaturali, ipsique ut talem offendit; ac proinde privatur gratia, per quam solum potest esse acceptus ad aeternam & supernaturalem felicitatem. Unde plura importat peccatum in homine ad finem supernaturalem elevato, quam si fuisse suæ pure nature relictus: in homine enim ad finem supernaturalem elevato, includit averfionem a Deo, ut sine tunc naturali, privationem notoris provenientis tam ex lumine gratiæ, quam ex resurgente luminis rationis, & legis naturalis, & condignitatem pœnæ aeternæ: at vero in homine sine pure nature relictio, diceret solum averfionem a Deo ut sine naturali, privationem notoris rationis naturalis, & condignitatem aliquid pœnæ infinitæ. His præmissis

58. Circa difficultatem propositam varia sunt Auctorum placita, que ad quatuor vel quinque reduci possunt. Prima sententia asserit hominem tam in hoc statu nature elevate, quam in statu pure nature, sine ulla gratia intrinseca, per solum extrinsecum Dei favorem posse justificari etiam justificatione completa & perfecta, quæ non solum remissionem offensæ, sed etiam abluitionem macule importat. Ita docent Scotus, Suarez, & Curiel, & alii Recentiores, quamvis diverso ducantur fundamento: Scotus enim existimat, transiente peccato, nihil ex illo manere nisi obligationem ad pœnam, qua obligatio per solum extrinsecum Dei favorem tolli & relaxari potest: Suarez vero, Curiel, & alii, qui maculam peccati a reatu pœnæ distinguunt, dicunt eam posse tolli a peccatore sine communicatione alicujus doni gratuiti & intrinseci, subindeque absque intrinseca ipsius mutatione, vel pœnæ hoc quod am dispenderat ab observatione legis, vel per hoc quod a statu nature elevate, ad statum nature pure transferatur.

Secunda opinio docet justificationem imperfectam, que dicit solum remissionem offensæ, absque infusione illius doni gratuiti & supernaturalis, fieri posse de potentia Dei ex-

traordinaria; non autem justificationem completam & perfectam, que non solum remissionem offensæ, sed etiam abluitionem macule ex peccato procedenti relictam, ac interiorum hominis renovationem importat. Ita docet Philippus a S. Trinitate in Tractatu de gratia disp. 6. dub. 4. citans pro hac sententia Ferrarientem, Sertum, & Ledesnam.

Tertis asserit ad justificationem peccatoris, five perfectam, five imperfectam, requiri aliquam gratiam intrinsecam, non tamen gratiam habituale, sed sufficere actus contritionis, & caritatis, qui de potentia Dei absolute possunt esse causa formalis justificationis. Hanc tenent Montezino disp. 33. q. 6. Aravius hic dub. 5. concl. 2. & Marcus Serra dub. 2.

Quarta, necessariam omnino existimat gratiam habitualem ad justificationem & remissionem peccati, tam in statu nature pure, quam in statu elevationis ad ordinem & finem supernaturalem. Ita docent Medina hic artic. 2. Joannes a S. Thoma disp. 27. artic. 2. & quidam alii ex nostris Thomistis.

Quinta denique, que in schola D. Thomæ communior est, asserit hominem ordinatum ad finem supernaturalem, bene potest justificari sine dono intrinseco gratiæ habituali, bene tamen hominem non ordinatum ad finem supernaturalem, seu in statu pure nature constitutum.

§. II.

Rejiciuntur duæ primæ sententiæ.

60. Dico primo: Non potest homo, etiam per extraordinariam potentiam, perfecte & complete justificari per solum favorem externum Dei.

61. Probatur: Justificatio perfecta & completa non dicit tantum remissionem, seu condonationem injuriæ Deo per peccatum illata, sed etiam emundationem a macula, ex peccato actuali in anima relicta: Atqui homo non potest emundari a tali macula, per solum extrinsecum Dei favorem, sed ad hoc requiritur necessario insusceptio alicujus doni gratuiti & supernaturalis: Ergo non potest homo perfecte & complete justificari per solum favorem Dei extrinsecum. Major patet ex dictis §. precedenti in prima suppositione. Minor probatur: Macula peccati non consistit in reatu sine condignitate pœnæ, sed in privatione gratiæ, ut contra Scotum in Tractatu de peccatis ostendimus disp. 9. art. 3. Atqui privatio gratiæ non potest tolli per solum favorem Dei extrinsecum, sed solum per infusionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis; cum enim privatio sit carentia & absentia forme, semper in subiecto intelligitur, donec forma ipsi opposita advenire concipiatur: Ergo homo non potest emundari a macula peccati, per solum extrinsecum Dei favorem, sed solum per receptionem alicujus doni gratuiti & supernaturalis.

62. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ea que proveniunt ex natura rei, & non ex libero Dei decreto, nequeunt mutari ex sola mutatione divini decreti: sicut ea que ex solo Dei statu dependet: Sed macula peccati provenit ex ipsa natura peccati mortalis, independentem a libero Dei decreto; sicut esse mortuum, cæcum, aut ignorantem, non provenit ex libero Dei statuto, sed ex natura harum privationum; Ergo sicut homo manebit mortuus, cæcus, aut ignorans, nisi mutetur intrinsece & physice in ipso; ita & peccator manebit maculatus, nisi per receptionem alicujus doni supernaturalis mutetur intrinsece.

63. Confirmatur amplius: Macula peccati non pendet a Deo in fieri, nec in conservari; tum quia non est aliquid positivum, sed mera privatio gratiæ; tum etiam quia Deus sequitur esse auctor vel conservator peccati: Ergo non potest sola sua voluntate, vel per solum subtractionem sui concursus, talem maculam delere aut destruere, sed ut illam tollat, necesse est quod in anima peccatoris producat aliquam formam ipsi oppositam, que illam expellat, subindeque quod ipsam peccatorum physice & intrinsece immutet. Sicut quia tenebræ non sunt aliquid positivum in ære, sed mera privatio locis, non possunt ab eo moveri, nec destrui, per solum collisionem divini concursus, sed destruantur per introductionem forme oppositæ, scilicet lucis, & per consequens per verap & intrinsecam ipsius mutationem.

64. Respondent Adversarii, duplicem dari privationem, unam physicam, que est carentia forme, quam subiectum tenetur ex natura rei habere; aliam dumtaxat moralem, que est absentia forme quam habere tenetur subiectum, non ex natura rei, sed ex divina tantum ordinatione: inter quas hæc est notabilis differentia, quod prior tolli non potest, nisi per introductionem forme cujus dicitur privatio, bene tamen posterior, per hoc videlicet præcisè quod cesset vel mutetur divina ordinatio: privatio autem (inquunt) in qua consistit macula peccati, non est physica, sed moralis, quia est absentia forme, videlicet divine gratiæ, quam habere non tenetur homo ex natura rei, sed ex divina ordinatione, subindeque solum remanet in ratione privationis, quamdiu durat ordinatio divina; sed si levis mutaret talem ordinationem, & hominem ad statum nature pure transferret, vel ipsum per favorem extrinsecum a legis observatione dispensaret, absentia talis gratiæ non esset amplius privatio, sed mera negatio, adeoque non haberet amplius rationem macule, seu peccati habituali: sicut quodam Prælatus in religione dispensat subditum ab obligatione regule, per talem dispensationem, que est favor dumtaxat extrinsecus, cessat obligatio regule, & deus transgressio, qua durante obligatione erat moralis & privativa, fit pure negativa, & desinit esse culpabilis.

65. Sed contra primo: Tandiu carentia gratiæ habet rationem privationis moralis, quamdiu manet voluntaria, nec potest sub ratione macule & privationis moralis tolli a peccatore, nisi ab eo tollatur quatenus est voluntaria: Sed absque intrinseca peccatoris mutatione, non potest tolli a privatione gratiæ ratio voluntarii: Ergo sine mutatione intrinseca peccatoris non potest destrui forma tolli, prout habet rationem macule, & privationis moralis & culpabilis. Major patet: ratio enim voluntarii est fundamentum moralitatis & culpe. Minor probatur: Privatio gratiæ est voluntaria per ordinem ad suam causam, videlicet peccatum actuale, seu volitionem malam & peccaminosam ex qua resultat, unde non potest desinere esse voluntaria, nisi talis volitio retractetur: Sed illa retractari nequit absque intrinseca mutatione peccatoris, quia cum sit actus liber, & a voluntate elicitus, non potest retractari nisi ab ipsamet voluntate que peccavit, & nisi per alium actum ei formaliter aut virtualiter oppositum, vel saltem per infusionem gratiæ habitualis, que cum ordinat hominem ad Deum, & restituet omnes ejus potentias, est quadam & eminentes & virtualis retractatio peccati: Ergo non potest tolli a privatione gratiæ ratio voluntarii, absque intrinseca peccatoris mutatione.

66. Contra secundo: Non potest Deus ita mutare ordinationem hominis ad finem supernaturalem, ut faciat illum, qui ordinatus in talem finem peccavit, nunquam fuisse in talem finem ordinatum: ad præteritum enim non est potentia: Sed ut carentia gratiæ maneat in ratione macule & privationis moralis, sufficit ut quando homo peccavit, teneretur talem ordinationem habere, atque adeo gratiam ipsam, sicut ut maneat privatio conformitatis ad legem positivam, quam quis transgressus est, sufficit ut tempore ipsius transgressionis teneretur se tali legi conformare, licet postea, vel quia lex cessavit, vel quia ab ea exemptus est, non teneatur amplius ei se conformem reddere: Ergo si homo, quando peccavit, ordinatus erat in finem supernaturalem, atque adeo debebat habere gratiam, etsi postea decerneret Deus non dare ipsi gratiam, eumque ad statum pure nature transferret, tamen defectus ejus non erit mera negatio, sed privatio culpabilis, atque adeo rationem macule habebit.

67. Contra tertio: Peccatum habituale, quod in peccatore remanet, transacto actu peccati, non solum importat privationem gratiæ habitualis, convertentis habitualem hominem ad finem supernaturalem: sed etiam privationem conversionis in Deum ut auctorem & finem supernaturalem: Atqui Deus non potest facere per favorem extrinsecum, quod illa privatio non sit moralis & culpabilis, cum non possit eximere creaturam rationalem ab obligatione se convertendi in ipsam ut auctorem & finem naturalem; Ergo implicat quod per solum favorem Dei extrinsecum, & absque intrinseca peccatoris mutatione, peccatum habituale totaliter destruat.

Potest insuper suaderi conclusio contra Suarez, arguendo ad hominem: Nam ille Auctor in materia de Eucharistia contendit admitendum esse, unum & idem corpus posse, de absoluta Dei potentia, esse circumscriptive in pluribus locis, ut ex hoc melius defensi possit contra hujus temporis hæreticos, corpus Christi simul in calice & in Eucharistia præsens esse: Ergo similiter nos dicere possimus, ad probandum efficaciter contra eosdem hæreticos, justificationem impii fieri per innovationem interiorum, & infusionem justitiæ inherentes, & ad firmi stabilendam veritatem catholicam, a Sacrosancta Synodo Tridentina sanctam, & a Sacrosancta Synodo Tridentina sanctam, nos pariter debere asserere, quod nec de potentia absoluta possit justificatio impii fieri sine justitia inherente, & intrinseca peccatoris mutatione.

Dico secundo: Justificatio etiam imperfecta & incompleta, per solum favorem Dei externum, & absque gratia peccatori inhærente, fieri nequit, etiam de absolute Dei potentia.

Probatur: Justificatio imperfecta & incomplete sumpta, est remissio seu condonatio offensæ, Deo per peccatum illata: Sed talis condonatio, sine remissio, nequit fieri per solum favorem Dei extrinsecum, & absque gratia peccatori inhærente, etiam de absolute Dei potentia: Ergo nec justificatio imperfecta & incompleta. Major patet ex dictis §. precedenti in 1. suppositione. Minor vero